NONNULLA DE SCIENTIAE MEDICAE ORIGINE PROGRESSU ET FATIS...

Emilio Bruschini

Digitized by Google

NONNULLA

DE SCIENTIÆ MEDICÆ ORIGINE PROGRESSU, ET FATIS

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D.RE JOSEPHO CORNELIANI

Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. P. O. Directore Nosocomii Universalis etc. etc.

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Februarii anno MDCCCXLIII.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

ÆMILIUS BRUSCHINI

EX LAUDE POMPEJA.

TICINI REGII

Ex Typis Fusi et Socii.

Digitized by Google

424

Digitized by Google

FRATRI AMATISSIMO

D.RI HÆRNESTO BRUSCHINI

Digitized by Google

470

Digitized by Google

Frater mi!

Scripturus aliquid de scientia, a te tanto amore et aegrotantium levamine exculta, mihi vero, tua propter praecepta et exempla, jocundissima studiorum causa, consilium habui mea ab ingenii facultate, temporisque copia praeparcis ut aliquod ederent tibi merito dicandum, hoc praesertim tempore in quo assiduis studiis mens est oppressa, et opus vix non deserui. Sed tua notus erga me indulgentia, et munere premente quod me vult auctorem,

Digitized by Google

varia scrutatus sum argumenta ad inauguralem scribendam dissertationem, illudque quod mihi facilius visum est, nonnulla scilicet de scientiae medicae historia, trepidans pertractavi, hoc solo favente consilio, ut officium scholasticum in officio observantiae converterem. Mihi enim promitto, hoc tibi testimonium erit grati animi, et dilectionis meae, dulcissimae mihi in posterum palestrae, et donationis tenuitas acceptionem tuam mihi non auferet, quae nunc maximum desiderium sistit, quo tenetur qui tibi feliciter est frater.

ÆMILIUS.

Digitized by Google

Medicinae Origo, Progressus et Fata.

. . . . . rari nantes in gurgite vasto.
Virg. Æneid.

Si mortales ea semper, qua nos, lege vitam degerunt, injuriae, et vicissitudines inevitabilis et necessarii semper aeris, alimenti natura et potulenti, corporum irruentium vis, actiones vitae, fabrica denique compagis humanae, effecerunt coaevas mortalibus aegritudines. Quae qualiscumque naturae et gradus intensitatis aegritudines, ut admittamus civilisationis progressus, earum numerum, naturam, atque uniuscujusque intensitatis gradum ad pervertendum et adaugendum influxum exercuisse, earum presentia, impulsu automatico, corpus ipsum ad adplicationem auxilii, caeterum ignoti, uti etiam in brutis videre est, incitant et cogunt, et ipsa molesta perceptio motus in membris quibusdam impediti, aut tormentum doloris, laesam quamcumqne partem exagitantis, impulit

Digitized by Google

474

mentem ut quaerat et applicet apta his tollendis remedia, sive vago experimento, sive appetitu spontaneo utatur. Quo posito, omnes homines, etsi experientia et studiis carentes, suimetipsius vel aliorum salutis gratia, suo proprio vel aliorum corpori, instinctualem vel sperimentalem adplicavisse medicinam sat certum evadit; hinc ars medendi, sensu explicato, semper et ubique fuit inter homines; ipsa cum homine ortum habuit, hominumque naturae physicae, quaedam semper fuit necessitas.

Medicina dum infans erat, immo dum sui non adhuc conscia evadebat, nobis sonat; opus instinctuale, per quod nitebatur morborum effectis, minus quam possibile esset, excitari, ipsa imminuendo, vel fugando, eo scopo ut vitam in statu morboso minus injocundam homines viverent, quam aegritudines parabant. Omnes, quas natura additabat, viae ad hoc obtinendum, si suum optatum gignebant effectum, tutas ad illum profugandum, vel istum, morbum, judicare lex erat, nullo habito respectu earum naturae, et adplicationis modo, nec non potentiae fortuiti casus, Medicis nimis adversi. Hoc elucet instinctum naturale, primum homini fuisse medicinae magistrum, quod vires naturae medicatrices, potentiorem morbi

Digitized by Google

reparatorem, suffragavit, et a continua et varia semper affectionum renovatione, artificiosius evadens, omnibus morbis remedia non spernenda additabat, seque salutis statuebat regulatorem. Sed quodam non optatum eventum obtentae sanationis, hominum mentem exagitans, ejusque opus revocans, indutionibus causam praebuit, quae aliis ejusdem generis casibus adplicatae, adauctae et confirmatae fuerunt; talique modo experientia sui posuit templi fundamenta, semper magis extollendi, primumque collexit thesaurum, qui morborum evolutionibus se opponeret, morbosque evolutos oppugnaret, humanae ab illis salutis redentionem revocando. Sed istae notiones ab experientia collectae, parvo factorum numero restrictae, et necessitati non satis respondentes, magistro antiquo, fortuito casu, praedominium reliquerunt, sibi limitem describens ejusdem directionis, paucis in casibus quibus suum sese extendebat imperium. Ita regimen diaeteticum, antea per naturale instinctum adversationis in morbis ciborum observatum, constituit inde subsidium, et primum forsitan, therapeuticum, postquam utilissimum in statu morboso eum bona facta demonstrarunt; ita et quies corporis ab instinctu primum monita,

Digitized by Google

4-76

inde ab experientia comprobata fuit. Hinc homo non amplius sibi solus fuit medicus, et consilia eorum qui ab experientia edocti fuerant, aliorum subsidio adplicabantur; hinc homo medicum in propinquo suo invenit.

Utut in universa Medicina tam theoretica quam praecipue practica, longe potiores rectae rationis quam ipsius quidem experientiae partes sint, adeo ut sana Medici ratio praeses ac diretrix praxeos Medicae merito sit dicenda, experientiae tamen laudes detrahere non possumus, in prima praesertim scientiae infantia, in absoluta ignorantia phaenomenorum quibus vita et sanitas reguntur; ipsae meritam immo gratiam persolvimus, ipsamque bonae scientiae primam salutamus motricem.

Observatione ducente, experientia locupletabatur, instinctui leges ponebat, cujus fuit aestimabilis socia in futuris speculationibus. Tali modo inter populos dispersa Medicina exoriens, ab omnibus exercitabatur qui se ipsae immiscebantur, unde seniores aliorum sanitatis praesides statuebant, ab experientia idoneos facti, et ipsa absente, ab aetate cadente, ita ut quaeque familia in individuo annis provectiore suum habebat medicum; quisque verum istorum, juxta eorum famam, majorem vel mi-

Digitized by Google

norem habebat influentiam in stabiliendis remediis morbo opponendis. Tali ratione, testantibus Homero et Herodoto, exculta ab Assiriis, Babiloniensibus et Caldaeis primitus fuit; a quibus, temporis progressu, scientiae exercitium Magis absolute committebatur, quorum erat officium morbos praevenire et curare.

Quoties dignitatem, et cuivis mortali ingenitum vitae amorem considero, agnoscere cogor rem inaestimabilem optare quisquis illam longam et felicem desiderat. Quid enim est homini eximium, aut quid praeclarum consequi possumus, quod nos vere juvet, si vitae caremus, aut si, quod ipsa morte non raro gravius est, sanitatis beneficio destituti, miseram inter mille dolorum tormenta vitam agimus, non solum per nos miseri, sed inutiles aliis, saepe etiam molesti? Quare nihil mirandum, si morborum calamitatibus oppressi homines maxima in aestimatione illos habuerunt, qui primi invenerunt medendi opus, aut si exercitium ejusdem sapientibus committebatur, et honoribus passim exornabantur illos, qui prae caetèris sanitatem pollicentibus, eandem praestare cupidis valuerunt. Haec institutio, scientiae progressui magnopere favit, processitque revera per accuratiora experimenta,

Digitized by Google

437

eorumque applicationem, et effectus, per morborum, remediorum, eorumque eventuum descriptiones super columnas, tabulas, et templa expositas, nec non per aegrotantium expositionem in triviis, foroque, eo scopo ut omnes qui ipsos appropinquarent, de morborum genere notiones sumerent, remedia suaderent, si conscii essent, et ad ipsa sumenda exortarent, tandem per opportunitatem ratiocinandi de factis, atque analogiam in scenam evocandi.

Ita rebus se habentibus, Aegypti et Libiae Cirenaicae abitatoribus emigraverat scientia, qui Sacerdotibus exercendam commiserunt, aliquid divini in morborum curatione esse persuasi, hominum mentes justae illustrantis admirationis. Sacerdotes isti vero, dum nota facta observationibus ditabant, eodem tempore scientiae tenebras obducebant, primas morborum origines non perturbatis naturae legibus, sed ab Jove offenso emanare docentes, quo consequebatur utiliora remedia ab holocaustis suppeditari numinem placantibus offensum; et hoc eo scopo ut sibi integram aegrotantium fidem conciliarent, suamque religiosam et medicam confirmarent potestatem. Ita divina pathologia et therapia, scientiae progressus demoratae sunt.

Digitized by Google

Graeciam nobilium omnium institutionum matrem et nutricem, ex Aegypto Medicina cum coloniis petiit, ubi huic malo adversatum est. Graecia primum scientiae medicae theatrum habenda est, hic enim ab empiricis fundamentis Aesculapii, Splancnologiae ab impressis male vestigiis, propter Aegiptiorum Sacerdotorum usum animalium perscrutandi exta, et per ipsas lanienas, primoque ab anatomiae pathologicae, a cadaverum condiendorum more emerso, germine, scientiae se extollit dignitati. Enim vero incisic vivorum animalium in usus philosophicos; enarratio in morbis distincta caussae, ortus, incrementi, vigoris, decrementi, exitus, permutationis, effectuum; medicamentorum cognitio, electio, praeparatio, applicatio, vis nota, eventusque observati, quae omnia Hippocratem praecesserunt, progressionem jam notabilem scientiae imposuerant, donec vir iste, horum quidem omnium pulcre gnarus, suisque simul sapiens observatis, bona quaeque adunando, Corpus Graecae medicinae conflavit, meruitque primus veri nomen Medici, et scientiae fundatoris. Si enim unquam breviter, solide tamen et accurate, universae medicae artis natura tradita fuit, certe id a probatissimo medico Hippocrate praestitum fuit,

Digitized by Google

440

posteris cunctis semper et nobis nunc etiam magistro. Ejus opera omne quod suis temporibus de scientia medica notum erat aperte referunt.

Instabilitas animorum misera, nec non pertinaces philosophorum doctrinarum vicissitudines, rectae ab Hippocrate viae repertae oblivionem pararunt, et scientiae declinationem, Medicique huic sequuti magistro, Pitagorae et Platonis philosophicis invasi deliramentis, eam deridendis hypothesibus inquinarunt. Ita regnante Ptolomaeo solo empirismo erat reducta.

Politicis obediens vicissitudinibus Medicina ex Graecia pulcram petivit poeninsulam quam Alpes ambiunt et mare, ibique gravem assumsit Latii sermonem, sibi semper in posterum serbandum. Hic ignorantia non adhuc eradicata, scientiae medicae benignam parum paravit tractationem, suosque Roma expulsi fuerunt fautores, sed nullum hoc ipsae detrimenti impartivit, nam » expulsis Roma medicis, Medicina expelli sine civibus non potuit ». Cornelius Celsus primus ex Latinis fuit, qui primam ad restituendam scientiae celebritatem operam navasset, eamque pristinae committeret viae, humanitatis optime meritans; usque dum in gente Asclepiadaea illibata diu exculta,

Digitized by Google

ab Aretaeo Cappadoce ordinatius in corpus digesta, in variis partibus, a diversis artificibus, differenti temporum et rerum successu, accuratius elaborata in Alexandrina praeprimis schola, tandem ad Graecum Claudium Galenum, Roma invisum florentem, pervenit. Hic Hippocratis ultor sparsa colligens, digerens confusa, cunctaque ex peripatheticis dogmatibus, ad servitutis infamiam usque, explicans, emolumenti plurimum, neque minus tamen damni, bonae arti attulit: nam auctor fuit ut ex elementis, qualitatibus cardinalibus, harum gradibus, et humoribus quatuor, subtilius quam verius explicaretur medicina, hypothesibusque humoralibus aditum aperiret. Alii praeclari homines, qui post hos medicinae bene humanitatisque promeruerunt, sunt Aetius, Paulus Aegineta, Alexander Trallianus, Theophilus, Actuarius.

Conatus ita humani intellectus, adversis tantis vicissitudinibus invitis, ejus opus obstantibus, tanta medicinam deduxerant fortuna, tantoque humanitatis refrigerio, quae ejus reverens venerabat sequaces. Et quasi prodigium fuisse videtur tanta practica virtus, infantili Anatomiae et Phisiologiae in statu, sola fundamenta quibus admoveatur rationalis morborum

Digitized by Google

aestimatio; nec non anatomiae pathologicae, quae ducentibus suis derivationibus, medicum dirigit et fulcit in exitu funesto praecavendo illis cum adminiculis quae scientia indicat cadaverum studio illuminata, opus ita confirmans rationis incertae nimis si a factis non est suffulta. Prodigium, inquam, videtur hoc acquisitum fuisse dum chemia, fere dicam, non erat adhuc, tantaque versabatur incertitudine de actione omnium fere ex paucis pharmacis tunc notis; etsi parum aestimationis restricto pharmacorum numero concedamus, non etenim a medicamentorum dovitie, verum ab eorum congrua adplicatione sunt bona effecta expectanda, quo addendum est, antiquorum praeceptis perpensis, pharmaca ab ipsis suppeditata, a regno vegetabile plerumque deprompta fuisse, quod ex botanicae scientiae studio longe magis quam caetera medicinae studia auxiliaria, exculto, originem ducebat. Et hoc vetustam pharmacologiam parum mancam efficere, sententia comprobatur hodierni non ignoti medicinae cultoris, qui affirmavit abunde suorum necessitati aegrorum satisfacere, sine pharmaceuticae officinae subsidio, qui montuosis in regionibus medicinam exercet, si non est scientiae botanicae ignarus. Si ergo notionum

Digitized by Google

penuria, rectae subsidiorum applicationi non obstabat, et medicorum practica tantam scientiae ejusque cultoribus aestimationem promeruebat, confiteri oportet illorum ingenium scientiae favere, eique honorem impartire.

Haec sors erat medicinae, sexto hodierni aevi seculo volgente, epocha humano scibili luctuosa nimis, in qua barbarorum populorum invasiones, devastationes exercituum innumerorum, horrendaeque omnium generum calamitates, omne fere quod in hominum tunc praesentiorum mentes, trajectorumque in operibus, optimi, humanitatique pretiosi evaderat ad nihilum reptarunt, incolisque Europae cultiorum terrarum coelestem illam extinxit flammam, quae Hetruscos primitus, Graecos postea Latinosque animavit. Densis in tenebris quibus hic casus per seculos quinque civilitatem involvit, fuit et medicina submersa; nisi quod aliqua substitit in Italia favilla, et est iterum accensa, volgente undecimo seculo, in quo barbaries ignorantiaque, ad apicem decimo in seculo perventae, aliquibus lucis radiis coeperunt illuminari. Hae excitatae favillae, nec non influxus Crucis militum qui Orientem Occidentalibus aperierunt, rudibusque Europaeis pulcherrima scientiarum, litterarum,

Digitized by Google

447

artiumque graecarum ostenderunt opera, classicaque multa antiquorum scripta ab oblivione revocarunt, magis quam Arabicorum in Hispania partibusque Italiae meridianis collocatio, primum dederunt impulsum restaurationi scientiarum, omniumque primum Medicinae, cujus praecipuum erat schola Salernitana theatrum. Cujus stabilimenti laus Saracenis non est impartienda; haec enim medica schola jam decimo seculo praestabat, arabaeque vero excursiones sub noni fine inchoarunt, primique invasores erant piratae, ideoque parum studiis promovendis idonei, atque scholae medicinae erigendae, quae quinquaginta solum post illorum invasionem annos, illustres jam dederat Italiae praeceptores. Magis ergo veritati mihi consonum esse videtur, Medicinae Studium quod Montecassini monacis profitebatur, per propagationem Salernum petisse, ibique, praecipue doctissimo vivente Constantino Africano, eminuisse. Praecipua hujusce scholae dogmata, rudi exponebantur latino idiomate, adagia, sententiasque evaderant ab experientia confirmatas, exempli gratia

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiunt
Haec tria: Mens hilaris, requies, moderata diaeta.

Digitized by Google

Haec schola, Arabumque in Hispania, Siciliaque, favente docto rege Friderico, studium, medicinae scientiae dignitatem restituerunt, animosque ad ipsius culturam incenderunt. Verum enim vero, ex quo rationalis illa Galeni disciplina, qui Hippocraticum dogmatismum, nimio progressus amore invasus, amplificavit simul et corrupit, regnavit, tantum abest ut ars nostra profecerit quidquam, ut potius majora decrementa experta fuerit. Ergo nil mirum si medicina iterum ab oblivione enata et culta, sibi parum attulit emolumenti, nam Galeni vestigia universa fere medicorum turba presso pede et uno ore sequuta est, ejusque vitia magis quam prius adsperserunt scientiae. Ab eo tempore Medici plus speculationibus, variisque commentitiis rationibus, et inde enatis concertationibus inhaerere coeperunt, quam ut morborum historiis et luculentis observationibus, quae tamen veritatum medicarum matrem, experientiam, constituunt, medicinae dignitatem amplificarint. Seculo demum decimo quinto chemiae, anatomes, nec non philosophiae experimentalis scientia magis agitata, et paulo subtilius exculta est; eamque epocam sistit in qua Galeni imperium strenue oppugnatum fuit et eversum; felici enim sidere,

Digitized by Google

446

major lux veritatibus medicis accendi potuit, et typographiae inventio, classicorum operarum diffusionem promovens, communicationibus scientificis favens, scientiisque utilem valdopere aemulationem acendens, scientiae faciliorem reddit culturam.

Paracelsus et Van-Helmont Galenicam doctrinam strenue oppugnarunt, et eam pene non oblivioni damnarunt. Primus alchimiae studio immersus, scientiam absurdis inquinavit hypothesibus, humoribus Galeni tria substituens principia chemica: sal, sulfur et hydrargyrum, quibus quartum addebat, pro necessitate, principium tartareum; quorum elementorum alterationes causas proximas morborum explicabant, remotae vero deducebantur ab entibus quinque, unde astralem theoriam, curas magneticas simpaticasque, facultates verborum et characterum medicatrices, remedia universalia, misteriosaque, totque riduculas verae medicinae deturpatrices insanias provenerunt. Alter verum, tot adeoque conspicuas chemicas fecit mutationes, ut fas sit eum verum chemicae medicinae auctorem ponere. Crisium doctrina, horum ope auctorum, proscripta una cum phlebotomia, remediisque purgativis, fuit, quibus alexipharmaca et sti-

Digitized by Google

mulantia fuerunt substituta, curaque activa inoperosae expectationi. Hoc systema in scholis medicis fere per totum seculum decimum septimum praevaluit. Sed Galenicis dogmatibus extremum attulit excidium circulationis sanguinis per Harveyum inventum; quod novam diffudit inusitatamque cunctas super medicinam constituentes partes lucem, novumque medicis attulit ratiocinandi modum.

Medicina chemica a Silvio et Willis culta et aucta fuit, quorum primus scholam clinicam erexit, alter Systema nervosum ad examen revocans, laudem promeruit Medicis rectam demonstravisse viam, aptioremque intimam ad noscendam animalem structuram. Sed Cartesii secutores falsis hypothesibus, vanisque philosophicis speculationibus innitentes, mala excoliunt avi corpusculare dogma, et fallaces augent doctrinas. Horum systema mechanicorum, chaemicorumque principiorum congeries est: parum super scientiam influxit, sed mentes a veritatum cultura distraxit, quod nequidem potuit impedire Sydenhamius. Nam Harvey inventio male adplicata, a Cartesio praecipue, novae jecit basim doctrinae, quam Bellini ad systematicam gloriam perduxit. Juxta hoc systema, quod mechanicum adpellari po-

Digitized by Google

645

test, capillarium vasculorum obstructiones, sanguinisque cunctatio, omnium quasi morborum praebent causas; indistincte et sine limitibus mechanicae leges adplicantur aeconomiae entium principii vitae activi praeditorum; et hoc falsum evadens, nil mirandum si paucos habuit secutores, alteroque reliquit systemati locum.

Stahl est auctor Medicinae Psicologicae, sive doctrinae Animismi, quae sibi multos conciliavit sectatores ex praecipuis scientiae medicae cultoribus. Hujusce dogmata animam ponebant supremam arbitramque omnium organismi functionum moderatricem, sub quocumque statu; anima Stahliana causas explicabat actionum animalium, vitalium, et naturalium, vitae, mortisque ipsae, auxilia therapeutica pauca et simplicissima evadebant, et in phlebotomia, paucisque evacuantibus, alterantibusque remediis ponebantur. Stahl vocare possumus hodiernae medicinae Platonem; ipse cum Anglo Hippocrate, Sydenhamio, solum gloriam dividit, coetaneos medicos attente morborum decursus examinare docuisse.

Inter systematicos Boerhaave Batavus se posuit, novamque instituit restaurationem medicam, quae ab elementis omnium scientiarum

Digitized by Google

naturalium, anatomes, scilicet, phisicae, mechanicae et chemicae scientiae, deducta fuit. Iste magnus vir corpus conflavit medicae doctrinae amplius, meliusque digestum quam cuncta ab Hippocrate usque nunc in lucem edita, quod scholas medicas ad finem usque decimi octavi saeculi dominavit. Hoffmann Stahlii collega et aemulus, multum adjumenti hodiernae medicinae contulit; auctoritatis Stahlii et Boerhaavii deest, hos verum valdopere therapeuticis studiis superat, nec non in pathologiae principiorum aequorum indicationibus. Hoc tempore medicina ad perfectionem jam perducta videbatur. Ipsae debentur lymphae vaccinicae inoculatio, electricitatis practicae medicinali adplicatio, doctrinaque febrium intermittentium perniciosarum. Haller eximior est ex Boerhaavil discipulis; et Halleriana irritabilitas est praecipua res quae Historici considerationem vocat, volgente decimo octavo saeculo.

Hic philosophica propensio cujus jam scientiae, literatura, artesque iufluxum percipere caepebant, medicinam etiam scientiasque naturales regit. Auctoritas imperiosa, rationi locum cedit, hypotheses dubiae et confictae, genuinis utilibusque investigationibus; et quae

450

reales rerum definitiones et invalidae conclusiones sunt, probe discernuntur, naturaque demum ab experientiis, observationibusque percunctata, et dominata, contentionibus philosophorum continuis cedere conatur, suaque ipsis fateri arcana, adeo ut ingenium libero arditoque pede cunctas petit occultas scientiarum vias. Medicina nihil aliud evadit quam fructum adplicationis scientiarum corpori humano phisicarum, suaque harum fatis comitat, quae magnum a recentibus studiosorum progressis accipierunt incrementum. Naturalis historia, Linnaei opera, expeditior, systematica, rectiusque disposita, auctaque Buffonio et completata fuit; phisica et chemica scientia, suis progressis adplicationes electricitatis medicae practicae multiplicarunt; anatomes multis utilibusque detectionibus suum ampliorem fecit regnum, medicisque viam praemonstravit ad explicanda phoenomena usque nunc obscura inexplicabilia, et classificationes morborum a Sydenhamio jam et Baglivio commendatae, per Sauvages operam positae tanta cum praecisione sermonis, et definitionum, morborumque characterum evidentia, fuerunt, ut fas est ut dicamus hodierna pathologia, hac de causa, illas a decessoribus et Boerhaavio ipso institu-

Digitized by Google

tas longe antecedere. Sed hisce non obstantibus progressis, nec non conatibus Gallicorum organicae Borden doctrinae secutorum, systematis Boerhaaviani fundamenta subsistebant adhuc.

Viam a Villis et Baglivio impressam ab Hoffmanno postea et Boerhaavio periclitatam, Cullen in Scotia sequutus, systematis nervosi leges pathologiae accomodavit, et medicarum statuit doctrinarum corpus, omnium ratiocinatius quae in medicina dominarunt, quod possumus doctrinam medicam phisiologicam appellare. Hujus dogmatum sagacitas et prudentia, et cauta mens, dubiaque simul si a factis non comprobantur, qua exponuntur, Cullenianam theoriam minus integram forsitan et satisfacientem, sed eodem tempore magis tutam, liberam, veritati proximam, atque vitiis partialibus immunem faciunt. Hic auctor vim vitalem in nervis residentem, sive potentiam animalis œconomiae motricem et percipientem ponit uti phoenomenorum vitalium causam; morborum vero origines ab ejus desumit statu diverso, alterationibusque, et ab ejus destructione causam mortis: diversae porro partes in quibus ipsa est morbosa, mechanica scilicet constitutio, vel anima, vel organa sympatica, mor-

Digitized by Google

452

borum explicant differentias. Felicitate autem omnium antecessorum majore causas invenit proximas et efficientes morborum. Per hanc theoriam omnibus provenit medicinae partibus quamdam simplicitatem, facilitatem, et certitudinem, antea nunquam consequutas. Phisiologorum conatus indaginibus diriguntur functionum systematum viventium, et non chimericis hypothesibus, eorumque studiis primum fuit objectum systema nervosnm. Pathologia morbos in classes reducere caepit juxta varietatem proximarum causarum, naturaliumque affinitatum. Sympathiae doctrina practicis lucem attulit. Semiologia pathologica veras morborum causas invenit, tantasque recusavit etiologicas insanias, quae tanto cum scientiae, scientiatorumque dedecore, medicinam vexarunt. Therapia adplicationibus absoluta est remediorum generalium, ad inducendas mutationes oppositas in oeconomiae perturbationibus, aptorum, et remedia specifica relegare conata est. Hic demum auctor errores multos proscripsit qui medicinam deturpabant; paucis ab elementis, fere omnia phisiologica phoenomena deduxit; atque rigoroso utens examine critico, veram statuit medicaminum efficaciam, eorum numerum imminuens. Culleniana instauratio ma-

Digitized by Google

gnam rapidamque habuit fortunam, et ab omnibus medicis secuta fuit scholis.

Dum phisiologicam Cullenii doctrinam praestabat, eodem Endeburgense, in quo hic auctor ad medicinam instituebat Athaeneo, aliam erumpit medicam disciplinam, quae illudente simplicitatis nota favente, medicorum mentes hallucinatur, et cum bonae scientiae detrimento, supremum sibi, in Anglia praecipue, conciliat medicinae imperium. Hoc erat fructum Johannis Brown philosophicarum indutionum; doctrina scilicet incitabilitatis. Sua dogmata praecipua haec sunt: Incitabilitas est proprietas corporibus organicis insita, per quam ab inorganicis differunt, omniaque manifestantur phoenomena vitalia: cunctae externae res in incitabilitatem agentes vocantur stimuli, sive potentiae incitantes, omnesque agunt stimulando: producitur ab actione potentiarum incitantium, in incitabilitatem incitamentum vel incitationem et haec uti vita est consideranda: ratio qua manifestatur vita, agentibus stimulis, sunt contractio muscularis, sensus, et facultas cogitandi. Unusquisque homo, ait Brown, vix ortus, dosi aliqua incitabilitatis a natura donatur, et variat in variis vitae aetatibus, variisque in individuis; hac consumpta, vel stimulis diu ces-

santibus, mors certa evadit. Quum ergo omne sit stimulus, et hinc vita sustentatur per hunc, vita ipsa posita est in adplicatione incitabilitati potentiarum stimulantium. Sedes hujus incitabilitatis posita est in systemate nervoso, quod vocabulum amplectitur duplex systema vasculare nempe et nervosum. Ex hoc patet Brown irritabilitatem atque sensibilitatem Halleri destruxisse, et hasce duas proprietates in incitabilitate comprehendisse. Contra doctrinam Borden, quae varias et privatas existere vitas in variis organis admittit, Brown suam incitabilitatem non diversam, non partibus constitutam, sed unicam et indivisibilem vim in toto corpore distributam consideravit. Quare omnes externae potentiae organismo adplicitae, non solum incitabilitatis partem aliquam organismi afficiunt, verum actionem exercent suam supra incitabilitatem unicam et indivisibilem totius organismi. Omnes igitur morbi sunt universales, exceptis iis qui a causa vel chemica vel traumatica proveniunt; itaque remediorum actio ad organismum totum, non ad partem est dirigenda. Stimulus agit ratione habita ad quantitatem, ita ut quantum est stimulus, tantum incitabilitatis exhauriatur; stimulus medius si in mediocrem agit incita-

Digitized by Google

bilitatis gradum, summam producit incitationem; si vero agit stimulus major in paucam incitabilitatem, parum habemus incitationis, et hoc pariter si stimuli imminuuntur evenit; totis consumptis incitabilitate et stimulorum vi, mors sequitur. Incitamenti alterationes morbos designant, et per duas diatheses manifestantur, sthenicam si excedit incitatio, asthenicam si deficit, et haec ultima est directa si pendet a stimulorum deficientia, indirecta, si a nimiis stimulis. Inter valetudinem et morbos semper adest temporis spatium quod opportunitatem vocat. Diathesis una in alteram mutari potest, sic sthenica in astenicam indirectam, quum vel stimuli protrahuntur vel stimulis vehementioribus utatur, et in asthenicam directam si medicus phlebothomia aut purgantibus stimulos tollit. Frequentissima omnium diathesium est diathesis asthenica indirecta, quia nunc universalis est stimulorum abusus, quia diathesis sthenica sponte in asthenicam indirectam terminat, quia denique nimis stimulorum protrahitur usus. Inflammatio dari potest in utraque diathesi, sed tamen duos habet oppositos exitus in sthenica suppurationem, in asthenica gangraenam. Fluidi aut humores integrantes organismi partes non constituunt, et ideo

Digitized by Google

456

considerati uti potentiae agentes, secundarias constituunt morbi partes. Morbi a Brown duplici curabantur modo; sthenici remediis debilitantibus sive stimulis minoribus; asthenici excitantibus sive maximis stimulis, si verum asthenici sunt directi stimulis laevioribus ab initio, gradatim ad majores doses reductis, si asthenici indirecti maximis ab initio, gradatim imminuendis.

Quum viri in re medica praeclarissimi theoriam Brownianam a praxi felici exitu confirmatam minime vidissent, ejusdem dogmata ad examen revocarunt et plures magni quidem momenti modificationes fecere. Gallini et Testa vitalitatem illustrarunt, et de ejus natura veram et exactam protulerunt notionem; in unione, mutua positione et proportione molecularum organicarum, causam vitalitatis ipsi invenierunt; et incitabilitati primus impressionabilitatem et disimpressionabilitatem, alter actionem et reactionem organicam, substituerunt. Sic auctores isti pathologorum investigationi copiosissimam morborum fontem aperiebant, seriem nempe mutationum in organisatione occurrentium. Rasorius non una tantum ratione potentias externas fibram vivam afficere affirmavit, sed binos et sibi contrarios in illis oc-

Digitized by Google

currere agendi modos; dari nempe potentiae quae vim vitalem imminuunt et infirmant per specialem propriam actionem, et eas controstimulantes vocavit, hinc diatheses stimuli et controstimuli distinguendas esse; hinc theoria controstimuli, et lex tollerantiae enascebatur. Bondioli et Fanzago solam incitationem ad constituendam diathesim non sufficere demonstrantes, formae morbosae atque conditioni pathologicae ortum dederunt. Guani irritationis doctrinam instituit, quae Rubinium, Fanzago, Tomasinium aliisque habuit sectatores, et a Gerominio dein ad evidentiam ducta fuit; ipse enim irritationis, quae tamquam basim conditionum habet pathologicarum, comparationem cum inflammatione instituebat, et verum discrimen irritationem inter et inflammationem, nonnisi in gradu diverso mutatae organisationis consistere, statuebat. Tempus medium opportunitatis inter morbum et sanitatem fuit oblivioni traditum. Sententia de humoribus uti stimulos solida vitiantes perspectis oppugnata a Monteggia, Bufalinio, aliisque fuit; ita asthenia indirecta et ipsa pluribus auctoribus rejeciebatur. Dum in scholis medicis Italorum praecipua theoriae Brownianae fundamenta criticae subjiciebantur analisi, duplex enata est

Digitized by Google

458

theoria; unam dynamicam vel incitabilisticam, diathesicam controstimulantem Tommasinii, alteram organicam, analiticam Bufalinii adpellare possumus.

Tommasinius duas retinet diatheses Rasorianas, et eas deduxit a motu fibrae organicae, ipersthenicam a contractione sive turgore, iposthenicam a relaxatione sive torpore, tertiam his porro adjunxit irritativam, a potentiis irritantibus concitatam, quae localem edunt adfectionem, et si haec aliquando universalis fit, hoc a consensu pendet. Morbos divisit in dinamicos et organicos, prouti partium structura facillime vel difficillime restitui potest. Morbi dinamici dividuntur in inflammatione, irritatione, congestione, et iposthenia. Inflammatio uti morbosum incrementum actionis systematis capillaris est consideranda; est localis, sed ad plura organa vel systemata extendi potest, et ita exorbitantem reddere omnis organismi actionem, in quo statu diathesim ipersthenicam suscitat, quae non prodit nisi ex influxu processus inflammatorii partis unius ad totum extensi organismum. Irritatio progignitur a potentiis organismo aeterogeneis ita ut nullo modo adsimillari quaeunt, quae qualitatem non quantitatem vis vitalis mutant; est semper lo-

Digitized by Google

calis; si progreditur in inflammationem commutatur. Congestio, sive Angioidesis, sistit in turgore vasorum; est affectio mechanica, praecedit vel sequitur inflammationem. Iposthenia in defectu actionis vitalis consistit; est rarior, et gignitur ab adplicatione potentiarum omnium controstimulantium, vel a privatione incitamentorum. Productionis organicae morbos non exquisivit, quia forsan aberrationes partis organicae ab eo retinentur subjectae conditionibus pathologicis praedictis. Morbos porro dinamicos in diathesicos et adiathesicos divisit, et diathesis consideratur uti profundam et perdurantem commotionem fibrae organicae, qua morbus sustinetur et perdurat etiam amotis causis quae eam produxerunt. Adiathesici in quibus incitatio sola est adfecta in continuum nexum decurrunt cum causis producentibus, et debellantur admovendo causas, vel remedia causis opposita adhibendo; diathesici in quibus organisatio est laesa, carent nexu, et etiam ablatis causis, proprium absolvunt decursum; hi diuturniorem et validiorem stimulorum vel controstimulorum usum exquirunt, nam in ipsis profunda morbosa adest conditio, quae durat etiam sublato stimulorum defectu vel excessu. Tommasini hypersthenicos

Digitized by Google

460

saepius occurrere morbos contra Brown putat; et quia inflammationes frequentius occurrunt, huic studio operam dedit et praeclaruit; statuit enim inflammationis veram naturam et proprietates.

Dynamica doctrina, a Rasorio et Tommasinio statuta, florente, Bufalini suam edidit organicam pathologiam. Hic auctor morborum universalium naturam, non in sola vis vitalis aberratione, sed in reconditis mixtionis organicae mutationibus positam esse autumat. Motui vitali omnia tribuenda esse phoenomena negat, et duplex e contra admittit virium series uti causas vitalium phoenomenorum, primarias nempe vires, et secundarias. Primariae sunt quae materiei adeo insunt ut neque vires sine materia, nec materia sine viribus immaginari queat, et per quantum dividatur materies, in ejusdem semper adsunt moleculis, uti attractio, vis chemicarum adfinitatum, vis caloris expansilis et radians, electricitatis attractio et repulsio, quae vires forsan ad duas tantum reduci possunt, attractionem scilicet, et repulsionem. Vires secundariae vel compositae sunt quae materiei essentiae nullactenus necessariae habentur, et propriam debent existentiam materiae; hae non nascuntur nisi ex

Digitized by Google

peculiari modificatione virium primitivarum; et tales sunt vis caloris vel saporis sensationes producens, elasticitas, friabilitas, et caetera; hujusque generis est vis vitalis quae tantum in organisatione est quaerenda. Essentia igitur vitae sistit in continua organisationis mutatione, et morbi consistunt in alteratione quantitativa vel qualitativa mixtionis organicae. Ita Bufalini mixtionis organicae doctrinam a vitae essentia deduxit, quae nobis veras morborum essentias patefacere deberet, et cujus sunt principia: vim vitalem et motum vitalem compositos ex serie motuum esse, qui in singulis organicis particulis operantur. Morbos porro omnes in duas divisit classes prouti ab ordine, proportione, et natura componentium organorum alteratis causantur, vel a sola corporum aeterogeneorum actione; primi in processu consistunt chemico-organico, alii in processu mechanico-organico; et ut discriminentur, eos quoad sedem, modum et decursum examinare oportet. Quoad agendi remediorum actionem, singula habere peculiarem agendi modum ad sanandos morbos, et specificae praedita esse virtutis autumabat.

Doctrina medica quae Gallicas nunc scholas fere omnes dominat, et magnam sibi celebri-

Digitized by Google

462

tatem conciliavit, est illa a Broussais instituta, quae physio-pathologica, vel medicina physiologica vocatur; rationes enim et facta quibus innititur a physiologia et anatome pathologica desumuntur. Haec a principiis Borden et Bichat originem habuit, nam vim vitalem minime in organismo distributam aequabiliter, sed in diversis partibus diverse modificari docet, ita ut fere privatam vitam singulae partes vivere videntur. Sanitas est armonicus partium concentus, morbus oritur ab illius alteratione, et in singulis organis, non in universo organismo est inquirendus. Contractilitas, quae vim vitalem, et incitabilitatem nobis exprimit, diffunditur variis organis in gradibus inter se discrepantibus, nec non variis systematibus et individuis, unde temperamenta et idiosyncrasias. Processus quicumque morbosus est semper localis, sed influxum exercet supra totum organismum, juxta simpathiae leges, quae ab eo valdopere aestimantur; hinc maximas inter cutim et organa uropoetica relationes adsunt, inter organa genitalia et laryngem, ita ut si alterantur, morbosas emergunt conditiones contractilitatem adaugendo, cujus est primus effectus ingens humorum adfluxus, et congestio sanguinis praecipue in capillaribus, quae pa-

Digitized by Google

thologica conditio, ab auctore irritatio dicitur. Omnes irritationes nonnisi in gradu differunt inter se, propter diversam actionem stimulorum, et variam partium structuram, omnibusque in morbis adsunt, etiam in specificis, uti in syphilide, scorbuto etc. Irritatio porro adfectio organica fundamentalis consideratur, ex qua depromuntur omnes morbi qui diversis in systematibus sub formis variis adparent, et praecipue sunt quatuor, unde quatuor habentur morborum classes: irritatio in vasis capillaribus cum turgore, rubore, dolore, et calore, quae inflammatio dicitur; irritatio cum sanguinis emissione per exhalationem vasorum capillarium, quae haemorrhagia vocatur: irritatio vasorum lymphaticorum, quae dicitur subinflammatio; irritatio in nervis, nevrosis dicta. Hae irritationes nisum habent in diffusionem, majorem vel minorem prouti sympathiam et relationem partium structurae; adfectio porro idiopathica vel sympathica tubi gastro-enterici est conditio morbosa quae fere omnes morbos comitare solet, a qua febris causatur idiopathica vel sympathica. Irritatio est intermittens; ab hoc febres intermittentes explicantur. Asthenia primitus inducta tantum distinguitur, quae universalis fieri nequit. Re-

Digitized by Google

464

media quoad agendi rationem sunt antiphlogistica seu evacuantia, et revellentia seu derivantia; prima agunt imminuendo actionem stimulorum, secunda de organo nobili ad aliud dignitatis minoris morbosam derivare valent irritationem, et hoc obtinetur ope artefactae irritationis, quae ad excitandam sympathiam apta sit. Inter remedia antiphlogistica venae sectiones, hyrudines, cucurbitulas primum tenent locum, inter alia epispastica, synapismata, cauteria; caeterae minerales et vegetabiles substantiae, actione sua nil aliud agunt quam tubum gastro-entericum irritando, et gastro-enteritidem progignendo, et si utilitatem afferunt, hoc ab actione pendet revulsionis quam in canali excitant alimentari. Haec praecipua sunt Broussais doctrinae dogmata.

Critica Kantii philosophia Germanos ad polaristicam doctrinam medicam statuendam duxit. Homo, juxta hujus sectatores systematis, in essentia caeteris naturae corporibus similis est, vita enim ejus juxta communes naturae leges regitur, ipseque uti a materia conformatus, polaritatis viribus, attractiva scilicet et repulsiva, obtemperare debet, quarum oppositione virium ei peculiaris impertitur existendi modus. Duo principia sibi opposita, in

Digitized by Google

corporibus polaritatem ponunt diversam, oxigenium et phlogiston, quibus quaevis solida liquida et aeriformia naturae corpora efformari statuitur. Vitam universam Polaristae a vita individua distinguunt; vivunt corpora omnia insimul vitam universam, et singula privatam, nec ullum mori potest corpus, verum transire solum in vitae alium gradum et modum; corpora inorganica minoris gradus vitam, organica altioris degunt, corpora omnia porro sunt vel criptobiota (vita occulta donata) vel phanerobiota (vitae manifestae praedita); homo ad haec pertinet, et ejus ut vita ponatur requiruntur tres conditiones, organisationem, vim vitalem, et incitamenta. Morbi oriuntur a turbata relatione inter factores dynamicos et materiales processus vitalis, sive inter corpus vivens et externam naturam, et hi morbi vocantur dynamici. Licet haec doctrina hypothetica maxima ex parte et praxi parum utilis sit declaranda, inficiari quidem non potest plures ipsam suppeditare veritates, et plurium phoenomenorum explicationes. Quoad partem porro summaticam dicendum est animae divinae illius aurae particulae actiones per materiei vires explicari nequi, et intellectus humani indagines ipsas eludere.

Digitized by Google

468

Alia nequidem additanda existimo systemata hoc tempore medicinam perturbantia, ipsa enim parum scientiae promeruerunt, nihil praeter historiae ingratas recordationes constituentia.

Practicis necessitatibus aliquod ne solum ex dictis systematibus satisfacit, vel praesentibus medicis omnia sunt in tenebris lumina?... Systematicorum institutionibus, singularum medicinam partium componentium studiis, et inventis, totque practicorum solertia immortali, ad tantum ars salutaris perducta aestimationis fuit, ut nunquam in posteris medicos tanta fides aegrotis adducebat. Insectatae tantum ignorantiae reliquiarum dispersionem inhians, medicinae benemerentibus benedico.

FINIS.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDÆ.

1. Vulgus perpetuus Medicinae censor; nulla porro scientia vulgo argumentum difficilius quam medicina.

2. Acidum fluoris hydracidum.

3. Prae caeteris characteristicum haemorrhagiae cerebralis symptoma paralysis.

4. Varius sputorum in peripneumoniis color fere semper a sanguine varia quantitate admixto repetendus.

5. In praescribendis cantharidibus magis de earum actione hyposthenisante, quam de specifica super organa uropoetica, timendum.

6. Lux anima, lux mors visus.

33 3333 21

Digitized by Google